

rum, uti mercedis. Hic potius secundo modo accipitur, unde Tigurina vertit, *non effugiet cum rapina celerosus, nec spes pium frustrabitur*: hoc enim significat Græcum *καθυπερισσει*; alii, *non frustra erit expectatio pii*; Syrus, *non liberabit operantes mendacium, et infraudantes, et non frustrabitur spes iustorum in æternum*. Hoc est quod ait Apostolus Rom. II, 6; « Reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem, qui sunt ex contentione, etc., ira et indignatio. » Ubi pro patientia idem est nomen Græcum quod hic, scilicet *υπομονη*. Aliter Hugo, q. d. « Non effugiet in rapina, » id est, peccator non eripiet se de manibus Dei, ut ejus vindictam effugiat.

15. OMNIS MISERICORDIA FACIET LOCUM UNICUIQUE SECUNDUM MERITUM OPERUM SUORUM (locum, scilicet apud Deum in cælo et cælesti ejus remuneratione, juxta illud Pauli: « Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, » II Cor. IX. Vide Matth. XXV, vers. 35, ubi Christus ob solam misericordiam electos cælo adjudicat. Hinc patet contra hæreticos, nomen et veritas meriti bonorum operum. Respondent Calvinus et Kemnitijs, *meritum* non esse in Græco, ideoque perperam additum ab Interprete Vulgato. Verum errant: nam Græce est *κατά έργα*, quod significat *pro meritis operum*, uti omnes Græce periti norunt. Unde Syrus vertit, *mercedem*. Addit Noster): ET SECUNDUM INTELLECTUM PEREGRINATIONIS IPSIUS, — q. d. Secundum prudentiam et sapientiam ipsius, qua in hac vita, quasi in peregrinatione, bonâ sua per misericordiam sapienter præmittit in cælum, quasi in patriam, ut inde vivat beate in æternum, q. d. Recipiet quisque mercedem in cælo, juxta vitam sapienter in hac peregrinatione peractam. Hebr. enim *שכח* *sachal*, id est intelligere, significat intelligenter agere, prudenter se gerere, sapienter operari; unde *שכח* *sechel*, id est intellectus, vocatur ipsa prudentia, ut Psal. LXXVII, 72: « Et in intellectibus manuum (hoc est, ut vertit S. Hieronymus, Aquila et Chaldæa, in prudentia actionum) suarum deduxit eos. » Similia sunt Proverb. I, 4, Psal. XV, 17, Eccli. I, 4, et alibi.

Codex unus pro *intellectus legit meritum*, et ita legendum censet Jansenius: quæ sane lectio aptior et clarior esset, si ei plures codices suffragarentur. Suffragari videtur Rabanus dum ait: « Quod autem dicit, Misericordiam facere locum unicuique secundum intellectum peregrinationis ipsius, ostendit quod quicumque bonis operibus certat mandata Dei custodire in hujus peregrinationis tempore, et nullo labore studet cum lacrymis et gemitu peccata sua emundare, æterna quiete merebitur consolari. » Verum ex verbis Rabani liquet eum legisse *intellectum*, sed *intellectum* explicare per *meritum*, quod utique verum est. Ille enim in hac vita est intelligens et sapiens, qui studet con-

gregare merita bonorum operum, pro quibus amplas opes et coronas se recepturum scit in cælo.

Græca de more concisa hæc tantum habent, *omni eleemosynæ locum para* (aliqui pro *ποιήσον*, id est fac, para, legunt *ποιήσι*, id est faciet, parabit, locum, scilicet Deus): unusquisque secundum opera sua inveniet, ut pro merito operum mercedem recipiat. Tigurina, *omni beneficentiæ locum para: nam fructum pro ratione operum suorum, suæque peregrinationis intelligentia quisque consecuturus est*; Syrus, *omnis qui operatur justitiam, habet mercedem, et unusquisque opera sua invenit coram eo*.

Præclare S. Gregorius, lib. IV Moral. cap. XLII: « Quia, inquit, in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa (futura) procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, eo illic alius alium retributione transcendat. » Et S. Cyprianus, tract. De Opere et eleemosyna: « Præclara, ait, et divina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei. » Vide insignem apologum quo Barlaam docet Josaphat bona opera præmittenda esse, ut post mortem ex iis in cælo perpetim vivamus, apud Damascenum in Histor. cap. XIV. Proprie vero de eleemosyna S. Chrysostomus, hom. 9 De Pœnit.: « Eleemosyna, ait, regina illa virtutum homines in ipsas cælorum arces celerrime adducit, advocati optimi loco fungens. Magna res est eleemosyna, præcedit aërem, transit lunam, solis radios excedit, ad ipsum venit cælorum culmen, ipsos pertransiens cælos et angelorum populos decurrens, Angelorum choros, et omnes superiores potestates, ipsi assistit regali throno. »

16 et 17. NON DICAS: A DEO ABSCONDAR, ET EX SUMMO QUIS MEI MEMORABITUR? IN POPULO MAGNO NON AGNOSCAR (Græca Romana, *non ero in memoria*; alii, *non erit mei memoria*): QUÆ EST ENIM ANIMA MEA IN TAM IMMENSA CREATURA? — Tigurina, sive Vatablus, *non dicas: Latebo Dominum, equis ab alto curabit me? Præ copia populi nulla erit memoria mei: nam quantula sit mea in tam immensa natura rerum anima? alii, nam quæ est anima mea in immensitate rerum creaturarum?* Syrus, *ne dicas: Ab ante Dominum abscondar, et in altitudine cælorum quis recordabitur mei? Et in populo multo non agnoscar, aut quæ (vel quid) est anima mea inter spiritus omnium hominum?* Est occupatio. Dixit Deum integras gentes, ut Sodomitas, Hebræos, imo totum orbem punivisse diluvio: nunc ne quis excipiat, dicatque Deum quidem curare gentes amplas, at non singulos homines, itaque posse quem impium latere Dei cognitionem, eaque ratione ejus vindictam evadere; id ipsum præoccupat et excludit, dicens: « Ne dicas: A Deo abscondar. »

Ubi nota tres hic ingeri rationes, ob quas impii stulte persuadent se posse Dei oculos et manus evadere; quas omnes hic elidit. Prima est, quod Deus sit Deus, id est summa et celsissima majestas,

qua indignum videtur attendere et curare singulos homines, qui coram eo quasi locustæ et pulices sunt. Igitur Deum curare magna ut cælos et cælestia, parva et vilia despiciere. Unde impii dicunt Job. cap. XXII, 24: « Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et cardines cæli perambulat. » Sic enim rex ad singulos sui regni subditos attendere et advigilare negligit, imo nequit, et « de minimis non curat prætor, » ut vulgo dicitur. Verum huic respondet, quod Deus sit Deus, id est numen, quod singulos æque ac omnes intuetur, regit, curat, vindicat, præmiat. Providentia enim Dei cum sit exactissima et perfectissima, ad omnia et singula, etiam minutissima, se extendit. Habet enim oculum immensum, quo omnes et singulos videt facillime et distinctissime, ac in infinitum plures et plura videre potest. Unde S. Benedictus in raptu ad hunc Dei oculum elevatus, sub eo vidit totum mundum, quasi globum exiguum sub solis radiis constrictum et collectum, uti refert S. Gregorius, lib. II Dialog. cap. XXXV. Igitur sicut sol omnia illustrat, sic multo magis Deus. Unde Hesiodus ait Deum esse solem qui omnia videt, et omnia audit: *ἕδρας*, inquit, *ὅς παντ' ἐργάζετο καὶ παντ' ἐπινοεῖ*. Et Sapiens cap. I, 10: « Auris zeli, inquit, audit omnia. » Et causam dat vers. 7: « Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc (πνεῦμα, id est hic spiritus), quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. »

Secunda causa cur impii putent se posse a Deo abscondi, est, quod longissime absint a Deo: Deus enim est in summo cælorum, ipsi sunt in imo terræ. Unde dicunt Ezech. IX: « Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. » Verum hoc pariter in ipsos retorquet Siracides: Deus enim e summo longissime videt, quia habet visum acutissimum et immensum. Sicut qui e monte conspicit, si oculos habeat acutos et validos, homines a longe venientes prospicit. Rursum terra respectu cæli, et multo magis Dei, est instar puncti: igitur Deus omnes et singulos acute et distincte videt, sed exiguos instar puncti. Sicut ergo quis in cubiculo parvo videt omnia quæ in eo sunt et geruntur: sic Deus omnia videt clarissime quæ sunt fiuntque in terra et toto mundo: hic enim respectu Dei est instar cubiculi. Hoc est quod ait Isaias cap. XL, 22: « Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cælos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit. » Denique Deus ita est in cælo, ut pariter sit in terra, omnibusque terræ locis et angulis: cælum enim et terram ipse implet sua essentia, præsentia et potentia. Quare quæ quolibet loco fiunt, coram eo præsentem et spectante fiunt.

Tertia causa est, quia dicunt: « In populo

magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? » q. d. In finiti quasi sunt hominum milliones, inter tot unus ego latere potero. Sic enim discipuli in magna et frequenti schola dum garrunt, et petulantias exercent, in turba sodalium abscondunt se, nec videntur a præceptore. Sic fures in cætu cum buras absceiderint, turbæ hominum se inserunt, ibique se abscondunt, nec dignosci possunt. Sic multi improbi abscondunt se in magnis urbibus, provinciis et regnis, quia unus prætor, princeps et rex in tanto subditorum numero singulos intueri, singulorumque mores et gestus animadvertere nequit. Verum errant: quia omnes homines et creaturæ cum sint numero finito, coram infinito Dei oculo sunt quasi unus atomus, quem quaquaversum circumlustrat, intuetur et pervidet. Hoc est quod ait Isaias cap. XL, 13: « Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus, etc. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. » Hosce immensos et lucidissimos æque ac justissimos et potentissimos vindicis Dei oculos expavescens rex David Psal. CXXXVIII, 8: « Quo, inquit, ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. » Et mox: « Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur. » Quocirca quod impii in die iudicii abscondent se in speluncis, dicentque « montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, » Apocal. VI, vers. 16; id dicent, non quod optent abscondi, ne videantur a Deo et Christo (hoc enim sciunt esse impossibile), sed ne ejus vultum iratum intueri cogantur: adeo enim ille eis erit horribilis et formidabilis, ut malint abscondi in inferno, quam eum aspicere.

Nota: Siracides identidem refricat et inculcat memoriam præsentia Dei, omnia et singula intuentis, judicantis, præmiantis et vindicantis, quia nullus est efficacior stimulus ad homines cohibendos ab omni malo, et incitandos ad omne bonum. Unde cap. seq. vers. 16: « Omnia opera illorum, inquit, velut sol in conspectu Dei: et oculi ejus sine intermissione insipientes in viis eorum. » Et cap. XXIII, 28: « Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditis partes. » Hoc est quod intonat Boetius: « Magna nobis incumbit necessitas bene agendi, quia in conspectu Judicis omnia cernentis cuncta agimus. » Pie ver. S. Augustinus in Meditat. cap. X: « Sic certe, inquit, mihi videtur cum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, nil aliud agit Deus, nisi ut meæ salutis provideat; et ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi se exhibet Deus,

semper paratum offert: quocumque me verto, me non deserit: ubicumque fuero, non recedit: quidquid egero, pariter assistit, et tandem cunctis actionibus meis perpetuus inspector, et quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit, ipse operis sui effectum patienter ostendit. Ex quo constat, quod licet facties ejus a nobis adhuc videri non possit, nunquam tamen possit ejus presentia vitari. » Et Tertullianus, lib. *De Penitentia*, cap. vi: « Nihil, inquit, occultum quod non reveletur: quantascumque tenebras factis tuis superfluxeris, Deus lumen est; et illius oculi multo lucidiores super solem, circumspecientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et corda hominum intuentes in absconditas partes. »

Complutenses alique Græci codices nonnulli huic versui, vel versui 16, subnectunt hœc duos, qui desunt in Latino: « Dominus obduravit Pharaonem, ut ipsum non cognosceret; ut noscerentur operationes ejus potentes et efficaces (hoc enim significat Græcum ἐνεργήματα) in ea quæ sub cælo sunt. Omni creaturæ misericordia ejus manifesta; et lucem suam ac tenebras partitus est, sive divisit adamantem, » *q. d.* Deus divisit lucem a tenebris profusus et perpetim, perinde ac si muro adamantino ea dispescuisset et separasset, idque fecit tum in prima rerum creatione et dispositione, quæ jugiter perseverat, *Genes. i*; tum mystice facit in angelis bonis et malis, æque ac in omnibus, v. g. in Pharaone et Mose; boni enim sunt lux, mali sunt tenebræ. Quare sicut in bonis ostendit misericordiam per gratiam et gloriam, ita in malis ostendit judicium et vindictam per derelictionem et gehennam, idque perpetim, quasi muro adamantino eos separasset: talis enim murus est inter cælum et infernum. Unde Abraham ad Epulonem damnatum in inferno: « Inter nos et vos, inquit, chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare, » *Lucæ xvi*, 26. Syrus quoque hos versus legit, sed eos ponit ante vers. 16. Sic autem habet: « Dominus induravit cor Pharaonis, ne cognosceret eum, ut appareant opera ejus sub cælo. Misericordiæ ejus apparerent omnibus creaturis ejus, et lucem suam et tenebræ suas divisit filiis hominum, » *q. d.* Proposui tibi vindictam Dei in impios, misericordiam in pios. Vis exempla? Vindictæ exemplum accipe Pharaonem, qui ob suam duritiam in mari rubro quoad corpus, ac quoad animam in rogo gehennæ: misericordiæ vero exempla suggerunt omnes creaturæ, utpote quæ ab ea conserventur, alantur, vegetentur, omnibusque bonis suis cumulentur.

18 et 19. ECCE COELUM, ET COELI COELORUM ABYSSUS, ET UNIVERSA TERRA, ET QUÆ IN EIS SUNT, IN CONSPECTU ILLIUS COMMOVERENTUR. MONTES SIMUL, ET COLLES, ET FUNDAMENTA TERRÆ: CUM CONSPEXERIT ILLA DEUS, TREMORE CONCUTIENTUR. — Tigurina, ecce cælum, cæ-

lique colorum Dei, profundum mare, simul et terra, quæque his comprehenduntur omnia cum in ipâ, it in ea, commoventur, totus mundus, creatus, et qui creatur (creari potest; vel creatur, id est, conservatur; conservatio enim Dei est quasi continua creatio) pro voluntate ipsius, montesque simul ac fundamenta terræ, cum Dominus in ea despiciat, tremore concutiuntur; Syrus, ecce cæli colorum, et abyssus, et terra in manifestatione ejus quæ super eos stant, radices montium et fundamenta orbis, cum manifestatur super ea, commoventur. Refutat id quod ex ore impiorum dicit: « A Deo abscondar, » etc., ex eo quod Deus intueatur et despiciat omnes mundi partes, easque suo conspectu commoveat, et tremore concutiat; inde enim colligendum relinquit, Deum pariter conspiciere omnia singulorum facta, ut ea judicet, ideoque omnes et singulos hujus divini aspectus metu et reverentia debere tremere, et horrore concuti. Per cælum enim accipit aerem, per cælus colorum cælus sidereos et cæteros cum empyreo, per abyssum mare; quibus junge terram cum suis incolis, habebis omnia orbis elementa, et cælus, quæ totum mundum componunt et coagmentant; fundamenta terræ accipit imas partes terræ, ejusque centrum, quibus quasi fundamentis terra inniti videtur.

Porro hæc Deus commovet suo conspectu, Græce ἐπιτοκῆ, id est, inspectione et visitatione, quia cum Deus vult ea visitare, in iisque ostendere suam presentiam et potentiam, ad hominum terrorem, ea loco movet, commovet et concutit, ut concussit totam terram in passione Christi, et montem Sina cum in ea daret legem Mosi, *Psal. lxxvii*, 9, ac alias provincias et insulas crebro terræmotibus loco movit et conquassavit: sed maxime id faciet in fine mundi sub diem judicii, ut patet *Apocal. vi*, 14. Hoc est quod ait Psaltes *Psal. ciii*, 32: « Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigant. » Et *Job cap. ix*, 5: « Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. » Vide *Psal. xvii*, vers. 8 et seq. Prodigiosa enim, horrida et divina, imo propria opera, quibus ipse suum in orbem imperium et magnificentiam ostendit, sunt tonitrua, fulmina et terræmotus: hæc enim sunt portenta et omnia divinæ tum potentiae, tum indignationis et vindictæ, ut ejus Numen velut terribile ac sacrosanctum metuamus et veneremur. Hinc illud *Job cap. xxxvii*, 4: « Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ; et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus. » Et *cap. xxxviii*, 35: « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus? » Et *cap. ix*, 6: « Qui commovei terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. »

Quocirca Philastrius, lib. *De Hæresibus*, hæreticos appellat et vanos philosophos illos, qui terræmotum rerum et elementorum naturæ ascribunt, non Dei peculiari jussioni et indignationi, qua peccatores commonet ut convertantur. Hinc

apud Gentiles prodigiosum semper existit antiquitati, atque adeo divinum: « Si tonuit, si fulguravit, si terra movit. » Vide Gellium lib. II, cap. xxviii, et Senecam, lib. II et VI *Natur. quæst.* Quare et in terræmotibus libros Sibyllinorum consulebant, teste Livio lib. XXXIV. « Jove tonante ac iugurante, comitia populi habere nefas, » ait Cicero, lib. II *De Divinat.* Hinc et iugurales, sive augurales libri, qui de auguriis ex fulguribus captandis tractabant, quorum meminit Cicero, lib. I *De Divinat.*

Ratio est, quia Deus totum orbem pugillo concludit, unde eum facile concutere potest, juxta illud *Isaie xi*, 12: « Quis mensus est pugillo aquas, et cælus palmò ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera? » *q. d.* Quis, nisi solus Deus? Idem cecinere Poetæ, Virgilius IV *Eneid.*:

Regnator, cælum et terras qui numine torquet.

Seneca in *Agamemni.*:

Pater ac rector fulmine pollens,
Cujus nutu simul extremi
Tremuere poli.

Idem in *Hercule furente*:

O magne Olympi rector, et mundi arbiter,
Pro numinum vis summa, pro cælestium
Rector parensque, cujus excussis tremunt
Humana telis.

Aliter ait de Deo, quod « nutu tremefacit Olympum. » Aliter Palacius: Cæli, ait, terra, mare et omnia, quæ in eis, commoventur coram Deo, id est, nullum motum edunt, quin is protinus a Deo videatur, *q. d.* Ne tantillum quidem se movere possunt, quin illico id omne a Deo conspiciatur. Sed audi miram ejus de fundamentis explicationem: In medio terræ, ait, est vastissima vorago ubi infernus est: est vero cavitas illa fornicata, lapideo areu constructa. Fornix illa saxea est fundamentum terræ: ut enim ossa sunt animalium fundamenta, ita lapideæ venæ ab illo fornice incipientes, ossa terræ, ac ideo ejus fundamenta sunt. Qua de causa meritissime subdit Auctor, quod hæc fundamenta respiciente, tremor terram quatit, quia ossibus animalis concussis, concutitur et corpus animalis. Hæc Palacius.

Denique cum horrendo fragore reboant tonitrua et vibrantur fulmina, videtur cælum, montes, colle totusque mundus quassari et timore percelli, adeo ut cervæ quæ difficillime pariunt, cum tonat, pavore nervos laxante, pariant, fetumque emittant, juxta illud *Psal. xxviii*, 9: « Vox Domini (tonantis) preparantis cervos; » S. Hieronymus, *obstetricans cervos*; alii, *contremiscere*, vel *parturire facit cervos*. Quidni ergo peccatores?

Moraliter, discet hic quam potens et efficax sit Dei conspectus, ut totum mundum conquasset,

et e centro convellat, si velit, ac proinde quam eum suspicere et revereri debeamus.

Ratio est prima, quia conspectus Dei indivise jungitur voluntati Dei: voluntas autem Dei non est ut voluntas humana vel angelica, quæ vult duntaxat nec facit quod vult; sed volendo facit illico quod efficaciter vult. Dixit enim: « Fiat lux, » et illico facta est lux. Dixit: « Fiat firmamentum, » et illico facta sunt *Genes. i*. Nam « omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo et in terra, » *Psal. cxxxiv*, vers. 6, quia voluntas Dei simul est potentia, imo omnipotentia Dei, ejusque actus et executio.

Secunda ratio est, quia conspectus hic Dei est instar solis, qui radios suæ lucis diffundendo omnia illuminat, vivificat, sæcundat; alia exurit, alia liquat, alia indurat. Hosce radios deitas communicavit humanitati Christi. Unde Christus respiciens Petrum lapsum, Matthæum et Zachæum publicanos, cæterosque peccatores, illico eos ad se, et ad penitentiam sanctitatemque convertit. Si enim basiliscus oculis suis necat eos quos aspiciat; si lynx avis, quæ vertilla et torquilla a colli versura vocatur, teste Aristotele lib. II *Animal.* cap. xii, perhibetur suo aspectu homines in sui amorem rapere; si magnes oppositus ferro, illud ad se rapit: quid mirum si oculi Christi, in quibus radiabat fulgor divinitatis, suo aspectu Apostolos cæterosque ad se rapuerint?

Tertia, quia conspectus hic Dei practicus est: est enim ejus inspectio, visitatio et judicium: judicium autem Dei efficax est, quia eo plectit fontes, præmiat insontes.

Mystice Rabanus: Cæli, inquit, sunt Angeli, qui cælum incolunt; abyssus sunt dæmones, qui incolunt abyssum gehennæ: hi omnes coram Deo contremiscunt, juxta illud Apostoli *Philip. ii*: « In nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum. Per montes enim et colles, potentium persona demonstratur; et per fundamenta terræ, consilia mentium humanarum: hæc ergo ad intuitum Dei contremiscunt, quia ejus ditioni omnino subduntur. In Scriptura quoque sacra sæpe montium nomine prædicantium altitudo signatur. De quibus per Psalmistam dicitur: Susepian montes pacem populo tuo. Electi quippe prædicatores æternæ patriæ, non immerito montes vocantur, quia per vitæ suæ celsitudinem ima terrarum deserunt, et cælo propinqui fiunt. Subjectis erge divinæ voluntati electis Dei, sola repugnat mens, superborum; sed contraire illi satagens, ipso se gladio contradictionis frangit: ordini interno renititur, sed suis victa conatibus ligatur. Unde in *Job* ita scriptum est: Quis restitit ei, et pacem habuit? quia perversa mens, unde se contra auctorem erigit, inde se in semelipsa confundit. Habere ergo pacem resistens non potest, quia dum superbiam confusio sequitur, quod stulte per culpam geritur, hoc

in agentis pœna mirabiliter ordinatur. » Hæc ex S. Gregorio Rabanus. Rursum per *fundamenta terræ*, Glossa accipit profunda consilia; Hugo, cardinales: hisce enim quasi cardinibus et fundamentis uniti videtur Ecclesia. Hi quoque pavore concutientur, cum Dominus ad judicandam venerit: cui enim plus datum est, plus exigetur ab eo.

20. ET IN OMNIBUS HIS INSENSATUM EST COR: ET OMNE COR INTELLIGITUR AB ILLO, — *q. d.* Cor hominis non penetrat, nec pro dignitate æstimat et ponderat ea quæ dixi de Dei efficaci omnium inspectione, iudicio et vindicta. Unde ea, ut par est, non metuit, nec ejus offensam et peccatum exhorret, perinde ac si insensatum esset: illud ipsum tamen cor plene intelligitur et penetratur a Deo, qui omnes ejus sinus, intentiones, versutias usque ad fundum intuetur et pervidet, ideoque est et dicitur καρδιολογικός, id est, cordium scrutator et cognitor: unde idipsum exaggerando subdit:

21. ET VIAS ILLIUS QUIS INTELLIGIT, ET PROCELLAM, QUAM NEC OCLUS VIDEBIT HOMINIS? — *Procella* proprie est vehementior venti impetus, in mari potius quam in terra: ita dicta ab eo quod omnia procellat, id est, moveat et percutiat, juxta illud Virgiliti, lib. I *Æneid.*:

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.

Audi S. Augustinum, lib. III *De Genes. ad litt.* cap. x: « Aer commotus, inquit, ventos, et ubi vehementius concitatus, ignes et tonitrua facit. » Et Plinium lib. II, cap. XLVIII: « Flatus vagi, inquit, et ruentes torrentium modo, tonitrua et fulgura edunt: majore vero illati pondere incursuque, si late siccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ vocatur a Græcis ἐνεργήσις, » quæ etiam naves et domos aufert, et in alium locum transfert. Hinc metaphorice procella vocatur vindicta acris et sæva, instar procellæ omnia sternens et vastans. Unde Jeremias cap. XXIII, 19: « Ecce turbo, inquit, Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. » Et Isaias cap. XXI, 1: « Sicut turbine, inquit, ab Africo veniunt, de deserto venit (Septuaginta, tempestas per desertum transeat), de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi. » Et cap. XXX, 33, loquens de Tophet et gehenna: « Nutrimenta ejus, inquit, ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. »

Sensus er. Siracidis est, *q. d.* Quis porro hominum acutissimorum vel Angelorum vias, id est modos et rationes quas Deus in agendo et operando sequitur, plene cognoscat; præsertim vero procellam, id est procellosam illam vindictam, quam in impios detonabit et fulminabit in magno illo iudicii die, quæ tanta erit, ut ante illam nullam ei similem visurus sit oculus hominis. Tunc enim, ut ait Sapiens cap. v, vers. 18:

Accipiet armaturam zelus Dei, etc.; acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, etc., exarscenscet illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos. » Ita Rabanus: « Profunditatem, ait, consilii divini et potentiam iudicii quæ procellæ nomine hic designatur, nemo penetrare poterit. » Et Hugo: « Procella, ait, est distributio divini iudicii. » Aliter Palacius: Procellas, inquit, id est tempestates omnes quæ in mari et locis desertis fiunt, solus Deus conspiciat; nam plurimas nec vident, nec videre possunt homines, vel quia absentes sunt, vel quia iis hauriuntur et submerguntur. Sic et Dionysius: « Procella, inquit, est repentinus impetus venti, imbris, grandinis, qui, cum fit in locis desertis, nos latet. » Unde Job, cap. XXXVIII: « Quis dedit, ait, vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitru? » ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.

Moraliter idem: Terra, ait, conspectum Dei tremat, cor hominis conspectum minime tremat. Veretur quivis conspectum proximi, at ideo non peccat; nos nil veremur conspectum Dei, ut non peccemus. Si nec nutum oculi abscondere potes ab oculis Dei, cur coram tanta majestate audes illam offendere?

Græca concise sic habent: quæ omnia digne non cogitabit cor, et vias ejus quis consideret? nam procella est quam nemo hominum perspiciat; Tigurina: nec tamen hæc cor ullum satis intelligit, cum ab ipso corda intelligantur omnia; nam instituta ipsius atque non visam homini vim (vel turbinem) quis animo comprehendat? Syrus hæc omnia usque ad vers. 25, pro libito arcans et paraphrasticè explicans, paucis ita perstringit: etiam ego non ponam in corde meo. In viis meis quis intelliget? si peccavero, non videbit me oculus; et si mentitus fuero in omni loco abscondito, quis sciet? Eccordes dicent hæc, et vir iniquus ita meditabitur.

22. NAM PLURIMA ILLIUS OPERA SUNT IN ABSCONSIS: SED OPERA JUSTITIE (justæ vindictæ) EJUS QUIS ENUNTIABIT, AUT QUIS SUSTINEBIT? — « Sustinebit, » id est expectabit vel feret, id est ferre et tolerare poterit. Utrumque enim significat ἀράcum ἀπομυστέει, *q. d.* Dixit de uno opere Dei, scilicet procella ignea iudicii ipsius; nam plurima alia Dei opera sunt arcana et nobis abscon. Ita, sed opera justitiæ suæ, præsertim procellam iudicii jam dictam, hominibus aliquatenus revelavit, ut ipsi ea, utpote se concernentia, expavescant, ac sanete vivendo evitent et caveant. Attamen hæc ipsa quis pro dignitate enuntiet? quis vero ea inre-pidus futura expectet, vel præsentia ferat aut toleret? *q. d.* Nemo. Unde Tigurina: nam maxima pars operum ipsius occulta est: quis enarret exempla justitiæ ipsius, aut sustineat? Si oupis scire quæ

sint opera Dei in absconsis, puta thesauri, nivis, pluvie, grandinis, roris, gelu, glaciei, etc., lege Job, cap. XXXVIII.

LONGE ENIM EST TESTAMENTUM A QUIBUSDAM, ET INTERROGATIO OMNIUM IN CONSUMMATIONE EST. — *Testamentum* vocat iudicium Dei, quo cuique pro meritis præmia vel pœnas præsentis et æternas decernit. Dicitur *testamentum*, quia a Deo dispositum et constitutum, ejusque quasi ultima voluntas et dispositio ac proinde firmissimum erit, planeque effectum sortietur, longe certius quam testamenta ab hominibus moribundis condita. Sensus ergo est, *q. d.* Testamentum, id est decretum, via et ratio iudiciorum Dei remota est a cogitatione et cognitione hominum, quia homines ea non cogitant, non ponderant pro rei veritate et gravitate; sed multi vivunt perinde ac si futurum non esset iudicium, ac si non esset Numen, ac velut inferna fabula vana foret; et tamen « in consummatione, » et in fine mundi, certissime fiet « omnium interrogatio, » Græce ἐξέτασις, id est examen et inquisitio, eaque exacta, rigida et severa, adeo ut nec minimæ culpæ injudicatæ et impunitæ prætereant. Porro Tigurina vertit, *longum enim fatum est, et omnium inquisitio deficit*; quod Vatablus exponit, *q. d.* « Longa est factorum series, quæ priusquam explorata sit, desinit omnium inquisitio. »

Aliter quoque alii, *q. d.* Testamentum, id est pactum ab hominibus cum Deo initum de observatione mandatorum ejus, longe est a mente et opere eorum, quia a multis parum cogitatur et observatur. Ita Dionysius, Emmanuel Sa et Palacius, qui sic explicant: Cum omnium hominum interrogatio, inquisitio et examen futura sint in eorum consummatione, id est in morte, quomodo patiuntur homines se longe esse a lege Dei sui? Sic in Scriptura sæpe testamentum vocatur pactum cum Deo initum, ipsaque Dei lex, quia lex est conditio pacti; hæc enim conditione Deus inuit nobiscum pactum de danda sua hæreditate et gloria, si nimirum legem ejus observemus. Ut: « Non custodierunt testamentum Dei; » quod explicans, subdit: « Et in lege ejus noluerunt ambulare, » *Psal.* LXXVII, 10. Et alibi sæpe. Unde vocatur arca Testamenti, id est fœderis et legis, quia continebat legem, puta tabulas Decalogi dati a Deo; lex enim erat conditio fœderis initi inter Hebræos et Deum.

Anagogice, testamentum Dei et Christi est decretum, quo electos conscripsit suos hæredes in

regno cœlorum: hoc longe abest ab improbis et reprobis, quos diabolus conscripsit suos cives in gehenna: multi enim sunt vocati, pauci vero electi; sed horum omnium inquisitio, discretio et separatio erit in fine mundi, puta in die iudicii. Ita Rabanus et Hugo: Testamentum, ait, id est promissio vitæ æternæ, longe abest a peccatoribus.

23. QUI MINORATUR CORDE (id est stultus, insensatus, demens, cui deest sapientia, prudentia, mens, iudicium: hunc enim Hebræi vocant לִבְ חָסָר לֵב, id est deficientem corde. Hic ergo quia inani est corde, hinc COGITAT (non vera et solida, quæ dixi, de Dei iudicio et vindicta, sed) INANIA (de nugis et vanitatibus sæculi, puta de sectandis deliciis, opibus, honoribus, fabulis ludis, etc.; qualis enim quis est, talia et cogitat), ET VIR IMPRUDENS ET ERRANS COGITAT STULTA, — puta vanitates et cupiditates (ut eas mox explicata), quæ a Deo et cœlo ad dæmonem et gehennam eum deducunt, ideoque sunt stulta, et, ut græce est, μωρα, id est fatua, imo insana et delira, juxta illud *Psal.* XXXIX, 5: « Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas. » Et *Psal.* IV, 3: « Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » Qui ergo non cogitant de futura felicitate, vel infelicitate, de que suæ æternitate, hi sunt corde exiguo, imprudentes et errantes, quia sola cogitant temporalia plane inania et stulta.

Contrarie vertit Tigurina: *Qui animo, inquit, submisso præditus est, perpendit hæc; vir autem insipiens et delirus stulta cogitat, q. d.* Humiles qui mentem Dei voluntati demisse substernunt, intelligent hæc, ideoque sapient; superbi vero ad stultos suos honorum fumos deflectentes, in iis stultescent, juxta illud Christi, *Matth.* cap. XI, 25: « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. »

Moraliter Hugo: Qui minoratur corde, inquit, id est cordis magnanimitate per pusillanimitatem, vel cordis devotione per tepiditatem, vel cordis audacia per timiditatem, vel cordis tranquillitate per avaritiam, aut cordis inuiditiam per luxuriam; hic cogitat inania, id est vana et falsa, juxta illud *Osee* VII, 11: « Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. »

TERTIA PARS CAPITIS.

DE DEI SAPIENTIA IN CREATIONE ET DISPOSITIONE UNIVERSI.

24 et 25. AUDI ME, FILI, ET DISCE DISCIPLINAM SEN-SUS, ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE TUO; ET DICAM IN ÆQUITATE DISCIPLINAM, ET SCRUTABOR ENAR-

RARE SAPIENTIAM: ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE TUO, ET DICO (id est dicere propono, vel dico, id est dicam) IN ÆQUITATE SPIRITUS VIRTUTES, QUAS PO-

SUIT DEUS IN OPERA SUA AB INITIO, ET IN VERITATE ENUNTIIO SCIENTIAM EJUS. — Græcus de more hic concisus et bimembris est, cum Noster sit trimembris. Unde Jansenius censet tertium membrum, sive sententiam, hic æque ac in aliis locis hujus libri, ex alia cujusdam versione esse assutam. Verum ut alia superius dicta præteream, id hoc loco dici nequit. Nam est tertii membri: « Et dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio, » in nullo Græco invenitur, ac consequenter nulla fuit versio, ex qua in nostrum textum traduci poterit. Dicendum ergo nostrum interpretem olim plenius habuisse exemplar Græcum, in quo hæc continebantur. Pro æquitate Græce est *ἰσότης*, id est *ponderè*, q. d. Dicam disciplinam ad æquum rationis pondus appensam, et matura consideratione libratam et perpensam; nihil dicam nisi prius justo judicii examine et libramine discussum et ponderatum, ut nihil falsum, nihil imprudens, nihil vanum et inutile, nihil leve et temerarium, sed omnia vera, prudentia, solida, utilia, gravia, matura proferam et pronuntiem. Unde mox subdit: « Dico in æquitate spiritus, » id est cum æquo et justo mentis examine, q. d. Dico id quod prius diligenter expendi, libravi, consideravi, dijudicavi; dico, inquam, « virtutes quas posuit Deus in opera sua ab initio, » q. d. Enarro Dei heroicæ virtutes, dotes et attributa, puta sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam, etc., quas Deus ostendit in universi creatione et dispositione. Rursum virtutes quas ipsis rebus initio creationis indidit et communicavit, v. g. Angelis et hominibus potestatem ratiocinandi, animalibus potestatem sentiendi, plantis vegetandi, igni calefaciendi, aquæ refrigerandi et humectandi, etc. Ita Hugo.

Græca sic habent, *audi, fili mi, et discite scientiam, et in verbis meis attende corde tuo. Ostendo in pondere disciplinam, et in veritate, vel potius in exacta diligentia* (hoc enim est *ἐν ἀκριβείᾳ*) *annuntio scientiam*; Tigurina, *audi me, fili, et scientiam amplectere, adque mea dicta adverte animum. Explicabo perpensam eruditionem, exactamque scientiam edisseram*; Syrus, *audite me, et suscipite doctrinam meam, et omnibus verbis meis tradite cor vestrum. Dico in pondere, (cum statera, cum libramento) verba mea, et cum sapientia manifesto doctrinam meam.*

Porro Siracides more rhetoris ante orationem conciliat sibi benevolentiam auditoris, blande eum compellendo filium; et attentionem, dicendo se dicturum res graves de Dei virtutibus; et docilitatem, dicendo se nihil dicturum nisi prius longo examine discussum et ordinatum. Nam, ut ait Boetius *de Discipl. scholar.*: « Discipulus debet esse docilis, attentus, benevolus: docilis ingenio, attentus in exercitio, benevolus animo ad audiendum. » Siracidem ergo imitentur doctores, æque ac discipuli: illi ex eo discant modum docendi, hi discendi.

Præclare S. Gregorius, homil. 13 *in Evang.*: « Verba, inquit, Dei quæ aure percipitis, mente retinetis: cibus enim mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus in stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur; sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Æternæ ergo mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis, sed verba vitæ, id est, alimenta justitiæ, in memoria non tenetis. » Hac de causa repetit et inculcat *et attende in corde tuo*. Nam, ut ait Seneca *epist.* 108: « Quidam veniunt, inquit, ut audiant, non ut discant: sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc partem auditorum videbis, cui philosophi schola diversorium otii sit; non id agunt ut aliqua illis vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant; sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen et cum pugillaribus veniunt, non ut res accipiant, sed ut verba, quæ tam sine profectu alieno discunt, quam sine suo audiunt. » Tales erant Judæi, de quibus Dominus ad Ezechielem cap. xxxiii, 32: « Et es eis, ait, quasi carmen musicum, quod suavi duleque sono canitur: et audiunt verba tua, et non faciunt ea. » Longe alia mente David a Deo doceri optat, dicens: « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, » etc. *Psal.* cxviii, vers. 34 et seq.

26. IN JUDICIO DEI OPERA EJUS AB INITIO (q. d. Deus ab initio mundi creavit et disposuit opera sua magno judicio, græce *κρίσει*, id est sapientia, prudentia, discretione, modo et ordine, juxta illud *Sap.* xi: « Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti »), ET AB INSTITUTIONE (græce *ποιήσει*, id est effectione, creatione) IPSORUM (Complutenses legunt *impiorum hominum*; sed cæteri Græci et Latini passim legunt *ipsorum*) DISTINXIT PARTES ILLORUM, ET INITIA EORUM IN GENTIBUS SUIS.

Quæres, quænam hæc initia in gentibus? Primo, Jansenius ex Græco germane sic exponit: *Initia*, græce *ἀρχαί*, id est *principatus*, sunt principes et præcipuæ mundi partes, puta sol, astra, cæli, quæ principatum quemdam in inferiorem mundum, puta in terram et aerem obtinent; nam de terra mox subdit vers. 30: « Post hæc Deus in terram respexit. » Sensus ergo est, q. d. Deus mox ut creavit opera universi, illico distinxit partes eorum, dividendo aquas ab aquis, elementa a cælis, mare a terra, etc.; distinxit quoque *τὰς ἀρχάς*, id est, partes illas primas mundi, quibus totus orbis inferior regitur, in suis gentibus, id est generibus, quia fecit ut quodlibet astrum et cælum suum haberet genus, naturam, motum, proprietatem, diversa eis officia attribuens, v. g. soli ut illur inet diem, lunæ ut illuminet noctem,

suoque cursu menses et tempora dimetiatur et distinguat. Hoc sensu *gentes* per catachresin vocantur genera: hoc enim significat Græcum *γενεά*. Et sic Hebræi solem, astra, cælos, etc., vocant gentes, id est, milites Dei, a quibus Deus vocatur *Deus sabaoth*, id est, Deus exercituum. Unde vers. 28 ea inter se vocat proximos. Simili catachresi *Sap.* i, 14, dicitur: « Sanabiles, » id est, salutare et salubres, « fecit nationes orbis terrarum: » *nationes*, græce *γενεάς*, id est generationes, puta res genitas et creatas a Deo, q. d. Deus fecit ut res a se genitæ et creatæ essent salutare, non lethales et mortifere. Unde sequitur: « Et non est illis medicamentum exterminii, » id est, ut Græca, pharmacum exterminans et interimens; S. Hieronymus, *non est in eis venenum mortiferum*. Sic ibidem cap. xix, 10, vocat *nationem animalium*. Sic et Festus bonum fœturæ proventum in pecoribus vocat *bonam nationem*. Natio enim alludit ad etymon nasci, sicut *γενεαί* ad *γενεσθαι*. Sensus jam datum sequitur Syrus, dum vertit, *quando creavit Deus opera sua ab initio, cum creatione eorum distribuit leges eorum, et dedit usque in finem operationes eorum, et dominium eorum in omnes generationes sæculi*. Denique Latini nomen *gens* deducunt a genus, u littera detracta: gens enim est quæ ab uno genere ducit, ut Romani a Romulo, Israelitæ ab Israele, id est Jacobo, Chananæi a Chanaan. Hinc gens dicitur genus cætusque apum, ut Columella lib. ix, cap. ix: « Intestino, ait, bello totæ gentes (apum examina) consumuntur. » Sic etiam gens de piscibus dicitur apud Virgilium, *IV Georg.*:

Cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat: eum vasti circum gens humida ponti
Exultans, etc.

Non ergo mirum, nec illatum, gentem significare genus.

Secundo, simplicius et planius exponas, q. d. *ἀρχάς*, id est *principatus*, hoc est, corpora cælestia, quæ primas mundi tenent, distinxit Deus suis gentibus, id est, Angelis, ut ipsi orbis cælestes regant, moveant, ordinent, iisque per omnia præsent. Ita Lyranus. Aut certe *ἀρχάς* vocat principatus angelicos, q. d. Deus creavit et distinxit mundi partes, iisque præfecit Angelos ex ordine Principatum et Potestatum, qui sunt *ἀρχαί*, id est, principes in gentibus suis, id est, inter Angelos et angelicos ordines inferiores, puta inter Virtutes, Archangelos et Angelos, qui duntaxat præsent singulis provinciis, civitatibus et hominibus. Unde Palacius sic explicat: Deus, inquit, addixit cuius cælo suum initium, id est, principem et ducem, quos Philosophi vocant intelligentias motrices, Theologi vocant virtutes cælorum. Addit idem: Forte, inquit, gentes cælorum sunt stellæ, qui milites cælorum dicuntur, et vocati dicunt: « Adsumus, » *Baruch* iii, 34, q. d. Habent stellæ sua initia, id est, suos principes Angelos sibi deputatos. Sic Moses (quo alludit Siracides) *Deut.*

cap. xxxii, 28, juxta Septuaginta ait: « Quando dividebat Altissimus gentes, etc., constituit terminos juxta numerum Angelorum Dei, » q. d. Ab initio constituit et præfecit Deus singulis populis et gentibus angelos custodes, et quasi præpositos. Ita Origenes, homil. 11 *in Numer.*, S. Cyprianus, S. Chrysostomus et alii quos citavi *Deuter.* cap. xxxii. Huic expositioni favent Græca, quæ statim post *ἀρχάς*, subjungunt, *non esurierunt, nec defatigati sunt, nec destiterunt ab opere suo*. Quod rectius Angelis competit, quam cælis. Animatis enim, quales sunt Angeli, competit esuries, non cælis inanimis, æque ac defatigatio, et cessatio a motu et rotatione orbium cælestium.

Tertio, initia proprie accipias. Unde aliqui ex Græco vertunt, *in manu ejus* (hæc enim addunt Complutenses) *principia eorum in omnes ætates, q. d. Deus ab initio uti partes, ita et principia mundi manu sua continens, constituit et firmavit, ut durent per omnes sæculorum generationes: ita principium diei, lucis, solis, cælorum, ortus et occasus astrorum ab initio mundi constituit, ut per suum calorem et influxum continuo præsent generationi plantarum, frugum, fructuum, animalium et hominum. Tolle enim solem et astra, nulla erit generatio in terra. Favet versio Tigurina, cum judicio operatus est Dominus ab initio, et a prima rerum creatione partes eorum disposuit. Opera sua excoluit perpetuo, et initia eorum per sua sæcula generaque (genus enim et sæculum et genus significat); ac Complutenses dum legunt, *in manu ejus principatus eorum, eis γενεάς γενεών*, id est *in sæcula sæculorum*; alii legunt, *eis γενεάς θυρών*, id est *in genera, vel generationes eorum*.*

Quarto, Rabanus gentes proprie accipit, æque ac initia, q. d. « Ex quo hominis propaginem dilatate Deus disposuit, singularum gentium originem per partes singulas mundi discrevit, ita ut unaquæque gens ex parentis sui vocabulo denominata, sedes proprias in singulis provinciis possideret. Mystice autem divina Sapientia Ecclesiam suam instituens, per totius partes orbis dilatavit, atque in singulis gentibus collocavit. Unde est quod in *Apocal.* cap. i, ii et iii, septem Ecclesiis quæ fuerunt in Asia, sermo Dei directus est. »

Sic et Hugo: *Initia*, inquit, id est, initiales possessiones suas, in gentibus Deus distinxit, tribus filiis Noe, distribuendo tres partes mundi, nimirum ut Sem cum posteris incoleret Asiam, Cham Africam, Japhet Europam. Idem mystice: Deus, inquit, initio Ecclesiæ distribuit provincias orbis Apostolis, ut Joannes converteret Asiam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, etc. « Nec esurierunt, » id est, esuriam corporis Apostoli non reputaverunt. « Nec laboraverunt, » id est, corporis laborem nihili fecerunt, imo cum gaudio labores, dolores, contumelias et injurias propter Christum susceperunt, *Actor.* v. « Et non destiterunt ab operibus suis, » id est, a prædicatione Evangelii,